



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De magistris. cap. xc.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

Eph. 6. Domini, eadem facite cum illis, remittentes minas, scientes quia Dominus & ipforum & vester est in caelis. Domini, quod iustum & æquum est, seruis præstate, scientes quòd etiam vos dominum habetis in caelis. E

Basil. Pater iniqua seruitute oppressum aliquem seruum tibi reliquit. Fac eum manumittas. Hac ratione, & leniorem ipsi cruciatum reddes, & tibi ipsi veram libertatem cõparabis.

Na. in Quis seruus, aut herus? mala hæc est sectio.

Tetr. Est fictor vnus, vna lex, iudex quoque.

Sic ergo seruos seruis vt, cernas tuos.

Alius, solutus corpore, vt præstes, vide.

Qui domini dicuntur, opinione duntaxat, non re vera domini existimantur. G

Nemomor Nemo, qui quidem creatus sit, verè dominus est, quamuis etiam imperium suum ab or-
talii ve- bis finibus vsque ad fines propagarit. Solus autem ille, qui creatus non est, verè princeps
rè domi- atque imperator est.

nis dici Quamuis, vt ipse asseris, neminem premas, verberes, affligas, iniuria afficias: tamen pro
potest. iis, qui tecum versantur, horrendam censuram subibis.

Nilus. Ne seruos tuos in mediâ fame confice, ô homo: verè enim, quantum te liberalem alienis præbes, atque extorquis, qui à te aliquid petunt, inanis gloriæ causa gratificaris, tantum quoque famulus tuis, ne quid amplius significem, ob Dei gratiam subministra.

DE MAGISTRIS.

CAP. XC.

H

Esa. 8.
Hier. 15.



Dicit ego, & filij mei, quos dedit mihi Deus.

Hæc dicit Dominus: Si separaueris pretiosum à vili, tanquam os meum eris: & reuertentur ipsi ad te, & tu non reuerteris ad eos.

Mat. 10.

Non est discipulus supra magistrum, nec seruus supra dominum suum. Sufficit discipulo, si fit sicut magister eius, & seruo, si fit sicut dominus eius.

Heb. 13.

Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.

Basilus.
Na. Chrys.

Docentis auctoritas fidem orationi conciliat, attentioresque discipulos reddit.

Alimonia, eius quoque qui alios nutrit, doctrina est.

Tum maxime bonarum rerum studio inflammantur discipuli, cum magistrorum exempla ob oculos habent.

Clemens.

Qui docet, plus discit: & qui verba facit, per sæpe vna cum auditoribus suis ipse quoque audit.

Philo.

Doctrinæ signum est virga. Etenim nisi quis pudore afficiatur, ac de nonnullis rebus obiurgetur, fieri non potest, vt emendetur, atque ad meliorem frugem se conferat.

Non vt præceptor docere, ita etiam discipulus addiscere potest. Etenim ille perfectus est: hic autem imperfectus. Ac proinde consideranda est eius, qui eruditur, facultas. K

Auerte, quisquis es qui doces, ac diligenter expende, quanam aure vox tua à discipulo excipiat. Stultus enim est, qui ad surdum verba facit, ac stolidus qui lapidem monet. Eodem modo tu quoque peccati reus eris, nisi cum animo tuo perpenderit, quonam pacto, & quando sapientiæ sermonem promere oporteat.

Mat. 10.

Qui gratiam est consecutus, candidè seipsum iis offerre debet, qui discendi cupiditate tenentur: quemadmodum Dominus dixit, Gratis accepistis, gratis date. Nam qui accepit,

Mat. 5.

nec tamen impertit, id quoque quod habet, ab eo auferetur. Nec verò iustis duntaxat, sed etiam peccatoribus gratiam tribuit Deus, vt qui nec inuidia laboret, nec personarum acceptor sit, verum oriri faciat Solem suum super bonos & malos, & pluat super iustos & iniustos, nec peccatorem negligat, sed ipsi quoque nonnihil gratiæ tribuat. Ac proinde candidè quisque docere debet.

DE